



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Galli sub Carolo Calvo decreta Papæ de rebus secularibus non admittunt. Lotharij regnum, post ejus obitum, Carolus Francorum & Ludovicus Germaniæ Rex patruī inter se dividunt. Ludovicus II. frater ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

decretis qua scandalum excitant inter Ecclesiam & Rempublicam; unde sequantur in religione, & in bonis ecclesiasticis, maxima incommoda.

IV. Non carebant quodam pretextu Romani Pontifices, petito ex usu illius seculi. Censuris urgebant subditos ad resarciendam fidem qua Regibus debetur. Id tamen obtinebat petentibus Regibus adversus subditos, non autem adversus Reges. Exempla in prima specie, è Synodo Meldensi, è Synodo Suessonensi, & è Concilio Engelenheimensi. Quod institutum à Concilio Tolerano.

V. Ob dignitatem regiam verbo à Pontifice imminutam gravis contentio inter Carolum & Hadrianum. Iussit iste Hincmarus Laudunensem Romanum duci, Regis cura. Excanduit Carolus; ait Reges Francorum non esse Vicedominos, actores, vel villicos Episcoporum; illis honorem deberi juxta Apostolum.

VI. Præter injuriam sibi illatam, adversam quoque canonibus Hadriani epistolam Carolus asserit. Ex utroque capite colligit, si mandata similia sibi aut Episcopis mittantur, cum excommunicationum minis, non receptum iri in regno. Ministerio apostolice sedis se obtemperaturum, id est, in iis qua fierent secundum canones & traditionem majorum. Hadrianus his literis acceptis Carolum demulcet, & canonibus se accomodat.

VII. Immo desta Caroli comminatio adversus Hadrianum, si à mandatis illegitimis non recedat. Explicatus Hincmari locus. In Quinta Synodo anathema indicitur is qui fidem violant. Iovis sententia contraria sententia Caroli.

Exat diviso regni  
Lotharij in Capitulo  
regis Caroli Calvi.

I. SUPERIORI capite demonstratum est quantopere Ecclesia Gallicana reniteretur desiderijs Pontificum, si de rebus secularibus decernere tentarent. Eadem que sub Ludovico Pio viguit sententia, ad Caroli Calvi tempora propagata est. Hadrianus II. anno octingentesimo septuagesimo tentavit de jure hereditario regni Lotharij sententia sua decernere, & mandatis suis rebelles fratres Carolum Calvum Regem Franciæ & Ludovicum Regem Germaniæ excommunicatione plectere, sed à proceribus regni explosa est hæc secularis jurisdictionis invasio. Obierat sine liberis, quamvis superstitite fratre Ludovico II. Imperatore, Lotharius Rex, Lotharij Imperatoris filius, Ludovici Pij nepos, anno octingentesimo sexagesimo nono. Evocatus à proceribus regni Carolus Rex Francorum, vacuum regnum Lothariense occupavit, & Metis consecratus est. Sed agrè ferente Ludovico Germaniæ Rege regnum illud universum à Carolo teneri, inita pacione inter se Lotharij Regis fato functi patru ditiones aquis portionibus dividerunt. Hadrianus Pontifex injuriam fieri ratus Ludovico II. Imperatori, Lotharij Regis fratri, & perjurij reatum à Regibus incurri, (qui olim jurisjurandi formula in archivo Romanæ Ecclesiæ deposita sponderant se à regnorum invasione vi-

cissim temperatos) literas dedit per Legatos suos ad Episcopos Franciæ, Germaniæ, & regni Lotharij, quibus vetat ne quis regnum illud occupare nitatur. Quod si quis presumpsit, non solum, inquit, per mediocritatis nostre ministerium Deo auctore viribus infirmabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum diabolo, quem super hoc imitatur, omnino locabitur. Minatus est etiam dejectionem Episcopis qui tam nefariæ temeritatis auctorem communionem suam non repulerint. Hincmaro Remensi Archiepiscopo præcipue iussit ut apostolicarum literarum participes faceret ambos Reges, Episcopos, & proceres, eosque à tam violenta invasione deterreret. Quod ille fecit, recitata è porrecta scheda in conventu Aquisgranensi, suffragium tamen suum suspendit.

II. Quæ mens Regum & procerum fuerit, docuit Hincmarus Hadrianum Papam literis hac de re datis: quibus testatur in ea Gallos esse sententia, ut cum de re seculari agitur, auctoritati ecclesiasticæ vel excommunicationibus locus esse non possit. Cum potestatem sancto Petro primo Apostolorum & in eo suis successoribus datam, sed & Apostolis, & in eis, Episcopis pontificium ligandi & solvendi collatum, illis insinuare volumus, respondent: Et vos ergo solis orationibus vestris regnum contra Norimannos & alios impetentes defendite, & nostram defensionem nolite querere; & si vultis ad defensionem nostram habere auxilium, sicut volumus de vestris orationibus habere adjutorium, nolite querere nostrum dispendium. Et petite Dominum Apostolicum, ut quia Rex & Episcopus simul esse non potest, & sui antecessores ecclesiasticum ordinem, quod suum est, & non rempublicam, quod Regum est, disposerunt, non precipiat nobis habere Regem qui nos in sic longinquis partibus adjuvare non possit contra subtaneos & frequentes paganorum impetus, & nos Francos non jubeat servire cui nolumus Seniori: quia istud jugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare non possumus; qui scriptum esse in sanctis libris audimus, ut pro libertate & hereditate nostra usque ad mortem certare debeamus. Et si aliquis Episcopus aliquem Christianum contra legem excommunicat, sibi potestatem ligandi tollit; & nulli vitam æternam potest tollere, si sua peccata cum illi non tollunt. Plura in eundem sensum habentur in dicta epistola Hincmari, qui gravi etiam oratione docet fieri non posse ut Episcopi à Regis communionem abstineant, nisi à regno exulare velint.

III. Sed quod attinet ad questionem nostram, ex ea epistola discimus bonorum ecclesiasticorum capione coercitos olim